



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

**Puente, Luis de la
Coloniae Agrippinae, 1616**

Cap. LIV. Translatio oßium eius ad Collegium Villagartiense

urn:nbn:de:hbz:466:1-42916

CAPVT LIV.

TRANSLATIO OSSIVM EIVS
*ad Collegium Villagartienſe.**In Pſal. 115.*

DEO est in conſpectu Dei pre-
tiosa mors Sanctorum eius: vt,
teſte ſancto Baſilio, quemad-
modum olim, qui tangebatur of-
ſa corporis mortui contami-
nabatur: ita nunc contrà, qui
oſſa corporis alicuius ſancti

*Orat. in 40.
Martyr.**Serm 93.*

tangit, recipere poſſit virtutem, qua ſanctifice-
tur: ideoque idem Dominus vult, eiufmodi oſſa
in varia diuidi loca, vt in omnibus ſint orna-
mentum, propugnaculum, ac deſenſio aduerſus
hoſtes noſtros; & vt fidelibus eius honori ſint. ſi
à me quæras (ait ſanctus Ambroſius:) quid ego in
huiusmodi Oſſibus ac Reliquijs Sanctorum ve-
nerer? reſpondeo, me in corpore illius ſancti ve-
nerari vulnera, quæ pro Chriſto ſuſcepit; memo-
riam eius, qui vitam duxit colendo ſemper vir-
tutem; venerari cineres confeſſione Domini Dei
ſui conſecratos, & in ipsis cineribus ſementem
æternitatis; venerari corpus, quod me docuit
Deum amare, eidem placere, mortem non horre-
re. Et cur fideles non honorent corpus, quod ipſi
dæmones venerantur? quem enim cruciatibus af-
fixerunt, eundem in ſepulchro venerantur. De-
nique illud corpus ego veneror, quod Chriſtus
D. N. in hoc mundo honorauit; & eſt cum ipſo in
cælo regnaturum. Hi tituli, motiua & commoda
ex veneratione & cultu Reliquiarum Sanctorum
pro-

prouenientia: & propterea statim atque aliquem defunctum, sanctum esse iudicamus: cupimus reliquias aliquas, aut rem eius aliquam habere. ex quo prouenit, vt qui P. Balthassarem Aluarium nouerunt, tantam de eius vitæ sanctitate opinionem habuerint, vt aliquas corporis eius Reliquias, aut rem aliam eius secum habere optauerint; vt eum venerarentur, & eidem se commendantes, per huiusmodi aliquod pignus copiosam Dei misericordiam impetrarent.

Q^v I præ alijs in hac re deuotionem suam ostenderunt, fuerunt duæ Illustrissimæ Dominæ: Prima D. Iohanna Castiliæ, Fundatorum Collegij nostri Villareij Pontani Neptis: quæ, cum quatuor tantum diebus cum illo egisset, quibus in transitu ibi hæsit, adeo fuit in suis interioribus difficultatibus subleuata, adeoque stupuit vim, & efficacitatem, qua ad cor loquebatur: vt optauerit habere secum post mortem, quem non potuit diutius habere in vita: & ita petijt à P. Prouincia- li eius Prouinciæ (qui tunc erat, P. Franciscus Porrius) vt curaret tradi sibi caput S. Patris, quod spiritualis solatij causa secum retineret. Cui post paucos dies illud fuit concessum: tum quod Societas valde illi esset obstricta, tum quod magna cum deuotione id peteret. Ad illud tollendum misit quendam Patrem illius Collegij cui tradidit arculam pulchrè exornatam, & pannos elegantè elaboratos, vt inuolutum & arculæ inclusum ad ipsam portaretur. Habebat caput capillos multos valde adhuc recentes, & aliquid intus ex cerebro, quod necdum fuerat consumptum: & nihilominus nullus aderat ingratus odor, sicut

Qq s

nec

nec ex toto sancto eius corpore, aliquid tale exhalabat, quando ipsa ossa in cistam vnā collegerunt: cum tamen necdum caro tota esset consumpta: ideoque aliquid etiam calcis cum ossibus posuerunt, vt caro illa citius consumeretur: & quamuis in hac re non modicum temporis posuerint: nunquam tamen odorem aliquem ingratum perceperunt, cum tamen aliorum corporum in eadem cripta manentium foetorem ferre non possent. Acceptum sanctum caput pijsima illa Domina posuit cum magna reuerentia, ac veneratione, in quodam Oratorio ad id solum destinato, præter alterum quod habebat; & illud pulcherrimè exornauit in testimonium amoris ac venerationis erga sanctum Patrem.

ALTERA fuit D. Magdalena Vllloia, hæc cum cogitaret sepeliri in Collegio Villa-gartiensi, voluit sancti P. Balthassar's corpus ibidem habere, quem habuerat Confessarium & Magistrum, fueratque Rector, & primus Nouitiorum Magister in eo Collegio. Petijt ergo illud, à Patre nostro Generali, qui iam erat P. Claudius Aqua Viua, qui non potuit non annuere petenti. Ad ossa eo ferenda missus est P. Franciscus, Salcedius, nostræ Societatis, & eiusdem Patris ex sorore Nepos, cuius in præfatione nostra mentionem fecimus, attulitque illa occultè Vallisæ inclusa vsque Villa-gartiam, & transiens per Vallis-Oletum, vbi hæc Domina manebat: dedit ei dentem ex capite Sancti extractum, vt secum illum gestaret: quæ valde gauisa est tali munere accepto. Aliqui Patres graues, ex domo nostra Professa cupiebant ipsa ossa videre, ac venerari: & P. Iosephus Aco-

stius,

stius, qui vnus erat eorum, tantam percepit suauissimi odoris fragrantiam, vt interrogaret, an aliquid inter ossa posuissent, quod tam suauiter redolerent; cumque responderent, nihil esse positum, quamuis comparata quædam fuissent, vt ponerentur; respondit ille, ne id facerent; nam non deesse in illa domo, qui magnam fragrantiam percepisset. Solet enim Deus D. N. sanctorum corporibus suauissimum odorem tribuere, quamuis non omnes illum percipiant. Conuenerunt Villa-gartiam P. Gonzaluus Abulensis Prouincialis, & P. Ioannes Montemaiorius illius Collegij Rector, & P. Franciscus Galartius Domus Professæ Vallis-Oletanæ Præpositus, P. Ioannes Suarius, Antonius Padillius, & multi alij graues eius Prouinciæ Patres; accessit & Inquisitor, D. Ioannes Morales Salcedius, affinis sancti Patris, & D. Iacobus Lopez Salcedius eius ex Fratre Nepos, qui tunc erat Collegialis in insigni sanctæ Crucis Collegio Vallis-Oletano, quorum superius facta est mentio. Sarcophagum siue cistam cum sacris ossibus deposuerunt in quadam illius Oppidi Parochia, quæ dicitur S. Boalis, in quodam tumulo ad id præparato. Die autem sequenti instituta est ex templo nostro ad illam parochiam solennis processio, ad sacra ossa ad illud deferenda. Præcedebant quadringenti Studiosi, & Clerus cum choro Cantorum, qui seruiunt nostro templo; & hos sequebantur Patres & Fratres Societatis, sacris vestibus indutus incedebat prædictus Inquisitor Salcedius, vt Sacrum celebraret, & faceret Officium. Cistam ipsam acceperunt P. Rector illius Collegij, & P. Præpositus Vallis-Oletanus
& Pa-

& Patres alij graues, & ad certum tractum mutabantur: quia omnes cupiebant eum honorare, qui sancta sua vita ac doctrina adeo prius ipsos honorasset: collocatum fuit corpus in magno tumulo, quod fuit in medio summi facelli erectum. Sequenti die mane fuit solenne Sacrum, & excellens concio habita à P. Roderico Cabredio, qui tunc erat socius P. Prouincialis, & postea fuit etiam Prouincialis, Visitator & Superior in Prouincijs Peruana, & Mexicana cum magna Dei gloria, & utilitate animarum tam Hispanorum, quam Indorum. Sacro finito, posita sunt sacra ossa in Capella Reliquiarum prope altare, in quo seruatur sanctissimum Sacramentum, ad latus epistolæ: volente Deo D. N. ita eum honorare, qui adeo seruo ipsius honorem in terra quæsiuisset. Et quoniam ipse procurauerat, vt prædicta Domina Fundatrix facellum illud adeo insigne ædificaret, in quo tantum sacrarum reliquiarum numerum & varietatem poneret ad honorem Sanctorum: ideo voluit Deus, eius corpus proprium inter illos haberet in terra locum, cuius anima inter eosdem in cælo locum habebat.

Et quoniam concio, quæ in hac Reliquiarum collocatione fuit habita, præterquam quod erudita valde sit, spiritualis, & curiosa, habet etiam breuem quandam summam, & iucundum Elenchum vitæ huius sancti viri, quam retulimus: visum mihi est, eam hic subijcere ad
 foelicem huic historiae finem imponendum.

CON-